Rex

Otrebosz Danielis In felicem ex Moschovia reditum — oratio gratulatoria.


IN FELICEM EX MOSCHOVIA REDITVM,

Serenissimi ac Potẽtissimi VLADISLAI IV. Poloniæ & Sueciæ Regis, &c. &c.

Oratio Gratulatoria

M. DANIELIS OTREBOSZ Collegæ Minoris Classium Nouodworscianarũ Profess.

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis,
Anno Domini, 1634.



ORATIO.

IDEM ESSE REGES Principesq; Regnis & Dominijs ſuis, quod ſolem mundo, & rebus vniuerſis non ab re viri ſapientes vſurpare conſueuerunt, Sereniſſime & inuictiſſime REX VLADISLAE. Quippè inter alia cōmoda & incommoda vtrinq; ſimili ratione proueniētia, quēadmodum ad exortā ſolis nitidā faciem virere omnia vidētur, & aſpectu ſuo recreare mortalium oculos, & ſenſus omnes, & animū incredibili voluptate reficere, contracto verò eiuſdem coruſcāti lumine, vel defectione aliqua obſcurato, ſquallent viciſſim & horrent omnia. Sic ad vultum & ſucceſſus Regum, Regna, principatus, & populi vniuerſi lætitia, vel mærore confici conſueuerunt. Atq́ue hæc cùm longo vſu, & manifeſtis exemplis ſatis conſtant, & apparent, tùm nos hoc toto

 tempo-

tempore, liquidò, & abundè cognouimus; didicimusq; nihil adeò publicis votis optandum, nihil æque gratulatione dignum, quàm optimi principis successus. Nam cùm Deo immortali, qui humanas res multifariam versare, & vitam nostram nunc lætis mulcere, nunc tristibus affligere solet, placuit, Inuictissimo Principi nostro, inter tot insignes & memorabiles triumphos, gaudiaque, & dona multiplicia, non nihil etiam aduersi & tristitiæ admiscere, ac primùm Christianitatis totius decus Poloniā, aureum bonitate solum, campum militaris gloriæ Moschus nulli feritate secundus aggressus est. Dein Abazi Bassa hinc auro à Moschis corruptus, illinc agminibus Tartarorum fretus, latrocinia in aspectu totius Poloniæ exercuit, incredibile dictu est, quàm exemplo Principis sui, tota hæc Regni & dominiorum eius facies fuerit immutata, quantus vbique squallor, & tristitia inualuerat, adeò vt nihil communi omnium desiderio magis expetitum fuerit, nihil in Dei Opt: Max: Sanctissimæ Mariæ Virginis, Genitricis Dei, Sanctorumq;

rumque omnium conſpectu; denique ad illud nouæ Legis, venerandum tremendumque altare, diuinis & admirandis arcanis, myſterijsque plenum, maximisq; pignoribus cœleſtium donorũ, ex IESV CHRISTI, Dei & Seruatoris noſtri meritis vndiquaq; circumfluens, atq; redũdans, exoratũ, quàm, vt diuina eius clementia, has rursũ nubes diſcutere, & quod præcipuum, ad cõmunem vtilitatem pertinebat, iniuriam violati Regni repẽdere, dignaretur. Ac audiuit tãdẽ, Clementiſſ. Pater, preces & vota populi ſui, affulſitq; nobis hodie, conſtitutis hactenus in tenebris, & in vmbrâ luctus, tanquam lucidiſſimus ſol oriens ex alto ſupra hemiſphærium Sarmatici orbis, quæque eius eſt benignitas, magnum quoddam fænus gaudij, & bonorum omnium, nobis adiecisse videtur, cùm ara æternitatis dignam ex Moſcho victoriam, Tibi Regi noſtro Clementiſſimo, nobis vberrimum lætitiæ campum dedit, quo nullus ad decus, ad ſplendorem, ad votum Regni Poloniæ, non inueniri ſolùm, ſed ne optari quidem, & concipi in animo poſſit, dignior &

 locuple-

locupletior. Siue enim victoriæ dignitatem contemplamur, ea quidem relata est exMoſcho; cui à primis naſcentis Poloniæ incunabulis, inq́; robur virile ſeſe colligentis, quàm acerrimum innatum ſit odium in Polonos, ob immanem crudelitatem, ius belli toties violatum, perfidiam ſupra omnium hominum ſcelera poſitam, Hiſtorici literis incidere, ne aures beneficio ſæculorum emerſuræ poſteritatis polluant, dedignantur. Siue perpendamus animis noſtris magnitudinem belli: periculoſo quidem tempore, ſed breui, magna totius Europæ admiratione, Othomanorũ non exiguo terrore, immortali Poloniæ gloriâ, inſigni Moſchouię ſtrage extinctam videmus, profligatos diuerſorum hoſtium validiſſimos exercitus, direpta caſtra, expugnatas vrbes, impoſitas barbaro hoſti leges, abactam prædam Sein Ducem Moſchorum, qui certiſſimâ victoriæ ſpe inflatus, huc & illuc volitabat, debilitatũ metu, abiectis armis robori Polonorum inuicto, nulloq́; robore fatigabili, manus victas tradidiſſe, bellumq́; illud Moſchouiæ famâ, & opinione

magnum

magnum, exitu nostris gloriosum, suorum internecione memorandum reliquisse. Cuperem profectò huius tanti Principis, non iam exornandis, sed enarrandis victoriæ laudibus, vel aliqua ex parte volũtati parem afferre me posse copiam, & facultatem dicendi. Satis enim sit alicui velle, cunctis quidem pulcherrimum fuerit scire, summorum virtuti principum oratione respondisse. Sed quod in exactioribus quibusq; artificijs vsu venit, vt quò in aliqua re plus diligentiæ, & operæ aliquis posuerit, eò minus id quod sequitur assequatur: hoc & ego non modo animo, sed corpore toto perhorresco. Quis enim obsecro reperiatur, cuius VLADISLAI IV. Poloniæ Regis Inuictissimi, virtuti & amplitudini par fuerit oratio? Magnas ille, atque haud scio si post hominum memoriam non omniũ maximas res in Moschouia gessit. Qui toto tempore belli, quod certè modicum fuerat, quæ non dedit signa? quæ non reliquit exempla? quæ non expressit vestigia virtutis, pietatis, prudentiæ, fortitudinis, & mansuetudinis suæ singularis? ille,

quod

quod de Atlante fingunt Poëtæ, terrarum orbem humeris suis Christianum sustinuit; dum horribilem Moschi apparatum, varijs hominum agminibus refertum, fulminis instar disiecit: illius omnem temeritatem consilio, furorem fortitudine, audaciam virtute superauit: ille paternum Imperium, at quale, & quantum auxit? dum labentem Smolensci statum, & iam penè collapsũ erexit, atque ad pristinam stabilitatem, & nitorem reduxit. Ille Christianorum Regna, & Prouincias contra Turcas defendit; dum faces funestas per Illustrissimum Castellanum Crac: Supremum Ducem belli è manibus Abazi Bassæ extorsit, eiusdem tela à visceribus Christiani orbis depulit, vltimoque exitio, & interitu liberauit: & quod caput rei est, liberum cœlũ ciuibus reddidit. Ille in orientis & obeuntis solis, vltimis, Religionẽ catholicam mirificè propagauit: dum per inuictas Polonorum manus, ætatem militum lacertosam, & armis idoneam, in hos labirynthos hostem deduxit, atq; redegit, vt qui fœdissimo ore, minas iactare, vni ex omnibus Polonorum vires

maxime

maximè deſpicere ſoliti erant: quiq́ue apud illū ſtolidum ac furētem Dominum ſuum auſi eſſent gloriari, ſe quidquid vſquam Polonorum eſſet, vndiq́ue exterminaturos: ij potiſſimum cùm ad manus ventum eſſet cùm militibus inuicti roboris Sereniſſ: Regis noſtri: ita ſubitò perterrefacti ſunt, vt planicies ipſa camporum anguſta eis ad fugam capeſſendam videretur. Magnum hinc Tibi Sereniſſime ornamentum acceſſit, magnū; grata patria complectitur Te optimum parētem: Et enim de gloria Regni tui dimicaſti; vindicem laudis: etenim pro Imperio, Te ipſum periculo capitis expoſuiſti; depulſorem ſeruitutis: etenim vitæ Ciuium tuorum periclitanti, iamq́; in præceps ruenti, fortiſſimum propugnaculum incolumitatis præſtitiſti: vt nō immeritò quisqué incolarum Regni Poloniæ gloriaretur: veniſſe Regem, diuina quadam prouidentia rebus humanis conſulente eum, quem perturbatæ, & afflictæ Poloniæ res vel maximè flagitabant: ad ſcientiam gubernandæ Reipub: peritiſſimum, ad conſilia prudentiſſimum, gerendorum bellorum vſu, di-

ſciplinaque ſummum Imperatorem: & ſi quid caſui aut fortunæ tribuendum ſit, ad caſum fortunamque felicem: omni regia virtute, Regibus qui maximi aliquando fuêre, literisq; vel Græcis, vel Latinis celebrantur parem: dixerim ſuperiorem; omnes enim omnium nominum Principes, Sereniſſimo Regi noſtro gubernandi artium omnium artem, & intelligentiam concedunt. Nō Græcorum Ageſilaus, non Romanorum Traianus, vt in multis paucos numerem, æqualem gloriæ, & æquitatis partem, bellandi felicitatem cū hoc vno petant: melius hic viuit, quàm qui regulas vitæ, olim ille ſcripſit. Melius in tam alta ſpeculâ, tantiſque procellis tot populos liberi Regni regit, quàm humi ſerpens aliquis ipſum ſe in pacato texit. Sapientius ius Equeſtri ordini reddit, quàm legiſlator iura ſuis dedit. Plura & difficiliora bella in finibus Regni ſui confecit, quā è vetuſtioris æui hominibus non nemo bellatorum geſſit. Pacis inter arma dominus; domi hoſtibus terribilior eſt, quàm qui foris longè atque latè vexilla ſua circumtulerunt; in omnibus

deniq;

deniquelocis, atq; temporibus talem se præstitit, qualis vix optari nedum sperari alter poterit; nõ magis ad imitationis exemplum, quàm ad ipsam veritatem historię literis monumentisq; publicis posteritati commendandus. Nam si quis prudentiæ nomine gloriatur, si fortitudinis & magnitudinis animi virtute claret, si iustitiæ titulis extollitur, si temperantiâ nomen gloriosum inuenit, si liberalitatis gloriâ splendet, si quis item vllo alio virtutis genere nomen sibi immortale comparauit: ista omnia ornamenta, & alia quàm plurima, quæ Reges ornare, Regna stabilire, felices ac beatos subditos reddere solent, ex Te Serenissime REX, tanquam ex limpidissimo fonte in vniuersum Poloniæ Regnum promanârunt. Si enim illam vitæ magistram, gubernatricem actionum, oculum Regni, custodiam rerum, ducem beatitudinis prudentiam requirimus: ecquã tandem maiorem prudẽtiam desiderabimus, eâ quæ in te Serenissime eluxit? Cui cùm per leges non liceret Imperatorem exercitus esse, dum alij hoc munus laboris, periculorumque plenum,

 vel sub-

vel ſubterfugiunt, aut recuſant, vt qui ſe ipſos optimè noſſent, vel ab eodem munere, pudore quodam, Te tanto Rege præſente, deterrentur; obis munia Imperatoris, cui, cùm omnes vno ore literas, ingenium prudentiam, conſilium, ſuiſque numeris abſoluti Imperatoris cōcederent, militarem adeò tribuerent; vt non modò Imperator, ſed etiam magnus Imperator, & noſtra, & hoſtili & omnium confeſsione prædiceris, tam literis ad rei militaris ſcientiam, quàm rebus geſtis ac victorijs eruditus: cum nefas Tibi omnino duceres, grauiſsimo tempore Rempub: deſerere; neque vllam ſatis iuſtam excuſationem apud Te, Sapientiſsimum Regem fore animaduerteres. Tu conſilij Tui fructū cæpiſti: victa eſt Moſci ferocitas: proſtratus Tyrannus, recuperatæ ſunt prouinciæ: expugnatæ munitiſsimæ vrbes: arces æterno fæderis iure poſſeſſę: victa locorum natura: frigus arctoum: incredibilis tempeſtatum magnitudo: in ea deſerta penetratum, quo ipſa naturâ hominibus aditum videbatur penitus interclusiſſe: ſchiſmatica illa bellua in Rēpublicam noſtram

nostram desęuiens, admirabili fortitudinis tuę vi mitigata, & fortium militum dexteritate eò redacta est, vt quę non ita pridē Orbis Christiani toti⁹ decus Poloniam oppugnare, subiugare, & euertere voluit; solenneq́; cum gente sua ortu ignobili, mala & peruersa naturâ, nulla excultâ doctrinâ, effrenata libidine aliena inuolandi, & rapiendi consuetudine gaudente, fecit, de vniuerso Polonorum sanguine genti suæ (cui non dicam cum sanctitate, sed vel cum ipsa ratione nihil est commune) propinando: hæc euulsis furialis odij radicibus, fædus cùm Polonis, ad vltimas Imperij sui lineas confirmarit. Hæc omnia Rex magne & per Te, & inspectante Te, à fortissimo milite gesta sunt. Si celeritatem spectes, breui tēpore, si vim, non admodum magna manu. Felicissimo Imperij Tui auspicio recreata Polonia, dat Maiestati Tuę triumphum, sapientissimus es extruit maiestati Tuę aram æternitatis: iustissimus es, laborum pro Republica susceptorum ex sortem Te reddere, crimini ducit Polonia: prudētissimus es. Edet exemplū æternùm duraturæ gratitudinis

titudinis erga Te Regē nostrum, quod posteritas alet, quod omnium gentium, dum gentis Polonę, Moschouiticæque nomen erit superstes, fama celebrabit: quod ipsa æternitas intuebitur. Sed si ego rectè conijcio, non potest, gratuita est tua virtus: præmium tuum victoria: fructus laboris, patriæ salus: periculorum solatium, dignitas Reipub. restituta, quam hostis labefecerat. Iam si Triumphos spectemus Serenissime REX, breuis est voluptas, vehi per vrbem, conspici à multitudine, militari acclamatione ornari, ostentare prædam, duces captos manibus post terga reuinctos, flumina, Regiones, Prouincias, vrbes subactas. Spectatorum hæc est grata voluptas, Tui repræsentati labores. Sin me conuertam ad triumphales arcus, atque statuas, hæc ornant quidem vrbem, vrbisq́ue defensores: verùm facilè tempestatibus intereunt, nimborum vi franguntur: vetustate senescunt. Ex his autem delubris exigua gloria comparatur, quoniā virtus est, quę mortales Dijs simillimos efficit: hominum autem decretis nemo vnquam Deus factus est.

ctus est. Muta sunt ista Serenissime REX: noua dum sunt, ac recentia, spectantur; inueterata paucis noscuntur, ignorantur à plerisque: postremò partim hominum errore, partim obliuione, & verum nomen, & veros dominos, cum falsis Dominis commutant. Percunctare de huiusmodi monumentis quid censeant Bizantij: Exstant ibi plurima: alij aliud opinabantur. Quid Romę? quid Neapoli? quid in alijs vrbibus Italiæ? Doctissimus sit peritissimusque antiquitatis necesse est, à quo possis non quod verum, sed quod verisimile sit accipere. Indignum est nomine monumenti, quod tam angustis finibus, vel cognitionis, vel memoriæ, vel annorũ cõtinetur. Verùm licet tu hoc sis animo, vt sapiens, ad humana tanti scilicet, quanti sunt, idest minimi æstimãda, exaggerato. Existimas né Poloniam, idem iudicij, idem animi erga te, idem sententiæ de Te habituram, ac potius habere? versaris illi in animo, versaris in ore, hęres intimis medullis, virtutem tuam augustiorem omnibus triumphis iudicat. Res à Tę in Moschouiâ gestas, omnes ho-

nores

nores vel ampliſsimos ſuperare animaduertit. Eſt quidem induſtria militum vſitatior; ſed Domini præſentia felicior. Non male procedunt ea, quæ magiſtratus minores obeunt; ſed multò feliciùs & celeriùs, vbi ipſi rerum Domini adeſſe conſueuerunt. Et quemadmodum expeditior ad victoriam via patebat, cùm ipſe Alexander Macedo, haſta & gladio metuendus ibat in hoſtes; ita multa vel vno intuitu Tuo ſanata ſunt, quę, ne multis quidem aliorum laboribus inueniri, cognoſcique potuiſſent. Tantus amor eorum, qui Tibi diuinitus obtigerunt. Hoc illud eſt, cur Tibi omnes labores, quos ſuſceperas grauiſsimos, leuiſsimi viderentur, ad hoc omnes curæ Tuæ dirigebantur; vt ſi quæ per acerrimũ Chriſtiani nominis hoſtem violata, & labefactata eſſent, Tuo aduentu reſtituerentur. Et miramur adhuc, cur Te conſiliumque Tuum, nihil illa morata fuerint, neque corporis teneritudo, neque affectæ valetudinis infirmitas, neque auræ variatio, neque anni tempus alieniſsimum, neque viæ inuiæ, neque hyemis aſperitas, neque ſtatiuarum incom-

incommoditates, neque excubiarum, molestiæ? Quæ cùm ita se habeant, quid admirandum, quòd hodierna iucundissimâ luce, omnium lætitia ac applausu, animus Senatorum noua & inaudita exultatione tripudiet? vniuersus denique bonorum cętus insolita efferatur voluptate? Ecquidem maiores nostri summò iucunditatis affectu perciti, ob aduentum eorũ, quorum virtus, ac præclarè gesta, siue foris, siue domi peracta, vniuersorum aures impleuerant, festos dies celebrabant, victimas cædebant, coronas ciuicas & murales donabant; ac demum, quâ potuerant animi gratitudine afficiebant. Testis est Pompeius, cui ob insignia in Rempub. facinora, tres triumphi fuerunt decreti: Testis Marcellus, cuius gloriæ; columna à Syracusanis extructa, euidentissimũ præbuit virtutis argumentum. Testis Valerius & Fabricius, ob quorum in Rempub: animum; extincta cadauera, vel in ipso foro humata, & sepulta fuerunt. Testes, Scipiones, Fabij, Scæuolę, Horatij alijque innumeri; Ad

quorum ingressum, non priuatæ domus tantùm, non proprij parietes, non amicorum tecta, non vicinorum lares; sed vel ipsa totius orbis caput Roma sese obtulit, ac penè effudit. Sed facessant Pompeij, Marcelli, virtute bellica illustres. Exterminentur Fabij, Scipiones, rerùm gestarum gloriâ præstantes: procul Valerij, Fabricij, alijq́; complures, quos tum toga tū arma adeò in sublime euexerant; vt nihil humani, sed diuini potius quiddam participare viderentur. Nihil hîc belli gloria, quæ cito arescit, nihil ventosa ostentatio loci obtinet; ast omnia augusta, æterna, diuina, penitus in animo tuo consederunt, illi omnes partim cum imbellibus populis rem habuerunt: partim bello felices, cæteris rebus infortunati fuerunt: partim cladibus victorias propemodum adæquârunt: partim etiā aliquo usq́; à fortuna euecti, in medio cursu destituti, & ad extremum sæuis eiusdem procellis obruti sunt. Tu contra, hostem longè potentiorem acrioremq́; non vnius vrbis, sed totius Regni Poloniç ab initio ad finem vsq́;

secundo

ſecundo flatu fortuna bellum tuũ proſequente, viciſti; totum belli tẽpus quod perexiguum erat eò dirigens; vt immortalis, omniq́; poſteritatis memoriâ digna maneret victoria. Et manet; ſi quidem omnium Romanorum bellicæ tãtopere celebratę laudes, ſilent, taceat arma quę ſummum ferociſsimis nationibus terrorem incuſſerunt: clara illa & exornata trophæa, illuſtrium victoriarum inſignia, & ornamenta in diſiunctiſsimis terrarum oris erecta, conticeſcunt; omnes verò eorum res bello geſtæ, quæ omnium ingeniorum vim dicendi, atq́; vbertatẽ ſuperare videbantur, Tuarum virtutum ſplendor, lux Tui nominis obſcurat, & vt orto ſole, minora lumina noſtri adſpectus aciem effugiunt, ſic illę quantumuis illuſtriſsimæ habeantur: tamẽ effuſa virtutum tuarum luce coarctatur omnium eorum fulgor, & eua neſcit. Quemadmodum enim ſol luciduſsimus, quò denſioribus circumſeptus nebulis fuerit, eò pulchrius clariusq́; caput exerit, ſuoq́; ingenti radiorum ſplendore omnes orbis plagas col-

lustrat; ita tu pulcherrimã de hostibus sortitus victoriam, quasi lucidissimum sydus penitus in oculis nostris illuxisti, omnes tristitiæ nebulas, quæ faciem Patriæ nostræ obduxerant, virtutum tuarum radijs dispulisti. Inuaserat Regnum Poloniæ aduerso Septemtrionis flatu impulsus vultur. Tripudiabat in laqueos suos opimã incidisse, prędã canebat Triũphũ ante victoriam; Tu autem diuina gratia firmatus, galeâ salutis indutus, scuto fidei armatus, cingulo veritatis præcinctus, lorica iustitię vestitus aduersus crudelissimum hostem, castra pietatis mouisti, ac feræ immanissimę restinxisti ignem, antequam inualesceret, admouisti in tempore medellam, ne uis veneni ingrauesceret. O Deus Optime Max: Ecquę non debetur, aut quæ tã dem referetur Tibi à nobis gratia, cuius beneficio veluti quidam Atlantes, orbi Christiano sustentãdo ex Iagellonum Familiâ, vberrimo Regum seminario suscitantur. Gloriabatur olim illa rerum domina Roma, quibus solis cursus, ijsdem regionibus imperiũ suum cõtineri. Quid

non

non lætetur? quid non gestiat? quid non magnam animo spem concipiat Polonia. Cùm Te Patrem Patriæ, sospitem redire intuetur. Cùm Te in Antiquissimâ Familiâ Iagellonum, Sceptris Regalibus tùm in Patria sua, tùm apud exteras nationes, satis superque ornatâ, natum esse considerat, cuius eximium, semper erga regni Poloniæ incolas patrocinium exstitit. Quando quidē ex eadem tanquam ex pingui aliquo, & fertili solo, innumerus propè Potentissimorum Regum literis, & virtutibus splendentium numerus, dono quodam prouidentiæ, à ducentis Quadraginta octo annis propagatus, ad ornamentum tot Regnorum prouenit. Neq; hæc Serenissima & Augustissima Familia in vno aliquo, benè de Republicâ merendi genere studium, & promptitudinē suam declarauit, sed quotquot modi sunt, quibꝰ homines de hominibus, Ecclesiâ Patriâ, vniuersâ deniq; Repub. mereri solent; tot modis inclyta hæc familia, Illustriorem se longè lateq; reddidit. Age verò animi magnitudo, nonne ita semper in hac antiquissima Familia viguit, vt in eadem nata atq;

ta atq; educata esse videretur? Fuerunt in hac domo, Camilli, Torquati, Coruncani, Sempronij, Scipionesque Iagellonici, qui vel hostiles turmas sternendo, eorum in ceruicibus gladios cruentabant, vel regnum ab obsidionibus tutati sunt; vel in medias hostium phalanges irruendo, illis terrorem: suis animos faciebant, vel deniq; pro Patriâ (si aliter fieri non poterat) occumbebant. Cuius vtinam stirps in Hungariâ & Bohemiâ diutius permansisset: neq; enim his arma tractantib⁹, Turcarum Tyrannus eò, quò venisse videmus, potentiæ processisset. Si ergo cæteri Regni Poloniæ ordines, ideo ob felicissimum tuum reditū, lætitiâ afficiūtur, quia eum sibi Diuino beneficio redditum esse animaduertunt, cuius antea beneficiū, in rebus afflictis, & exulceratis experti sunt: iure & nos, qui priùs patrocinium, quàm conspectum, prius beneuolentiam, quàm præsentiā Serenissimæ M. Tuæ sensimus; qui plurimas in multis beneficentiæ Tuæ argumētis imagines expressas, contēplati sum⁹; gaudere & modis omnib⁹ lætitiā, ex Tuo Felicissimo reditu percipere debem⁹.

Ec-

Ecquidem Clementiſsime Rex, ſi ad cumulandam noſtram lætitiam, acceſsiſſet aliud: nihil quàm quod Te, feliciter Regno Poloniæ inter tot occurrentium hoſtium agmina præſidente, hæc alma Vniuerſitas Cracouienſis, multo à tempore afflicta, conſurrexerit, iamq; clariori facie reaſſumpta, feliciori ſydere floret: tamen non leuis ingratitudinis eſſet nota, nullā Tuo in reditu lætitiæ ſignificationē declarare. Sed cùm penè innumerabilia ſunt, & ad contēplandum iucunda, & ad prædicandum illuſtria, quæ noſtros animos recreando, & bonam ſpem pollicendo, lætitiā accumulāt: iure optimo, & gaudere, & ſtudiorū noſtrorum incremētum fæcundum nobis polliceri debemus, quod Te, reducem, in hoc bonæ valetudinis vigore, ad Patrias ſedes eo tempore, quò maximè prudenti Tuo conſilio Reſpub. & literæ egent, Deus Opt: Max: reduxerit. Memnoſinis illa ſtatua (vt antiquitas prodit) ita fuit in templo Serapidis ad ſolis obſeruantiam efformata, vt illo occidente, luctuoſum aliquid; oriente lætum & amænum occineret: quantò magis nos decet.

Lætas

lætas gratulationes exordiri, cùm literarum nostrarum solem in grauitatis, authoritatis, magnificentiæ splendore ad nos redire videmus. Hac tenus profectò, quasi hyemem quandam sine optatisſimo Tuo conſpectu perferre nobis videbamur: modo iam nouum ver, ſplendidiori facie, nobis arridere incipit; iam hoc omnes concordibus animis ominamur, almam Vniuerſitatem Cracouienſem, quæ hactenus in abſentiâ Sereniſsimæ Maieſtatis Tuæ, marceſcere videbatur, modò iam ad feliciſsimum Tuum reditum in dies incrementa maiora accepturam.

Sub fæliciſſimis auſpicijs Clariſſ: & Magnifici Dñi, D. CHRISTOPHORI NAYMAnowicz, Philoſophiȩ ac Medicinȩ Doctoris, & Ord: Profeſſ. Acad: Iagellonianæ, RECTORIS vigilantiſsimi.

Sumptibus Nouodworſcianis.